

FH 134  
99

IIa  
344

AD  
**AUDIENDAS ORATIUNCULAS  
SCHOLASTICAS,**

*DIE CRASTINO*

IN  
**AUDITORIO MAJORI,**

FINITIS SACRIS,

E MEMORIA

HABENDAS,

**Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos ac Fautores  
literarum omnes ac singulos**

presentibus literis

per officiose ac peramanter

invitat

**M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ Rector.**

CI G N E E,

Typis Büchelianis.



21.



Unus informator semper eloquentiæ integritatem morum præponit. Hac meta ad tranquillitatem animi tanquam ad portum provehitur. Prima ei virtus ponitur, nosse DEUM; altera virtutem instillando animum nobilem, liberum, ingenium efficere. Terriam in eo quærit, si discipulus doceatur non omnibus quidem, (quis enim tam beatus?) at principibus tamen viris placuisse. Ista mentis conformitas nusquam & nunquam moram aut morbum patiatur. Quare in deliciis habet, teneros jam tum annos honestatis sensu pellicere. Equa autem via ad eam felicitatem enitetur? Ipse ingenii lumen de suo lumine accendet. Ipse alios ostendet idem iter summa cum laude ingressos. Hos sive vivos sive mortuos ac muros temperandæ vitæ magistros ex alta velut specula monstrabit. Huc dirigendum studiorum cursum; huc alis admotis properandum: in hæc decora oculorum aciem convertendam. Pariter imbecillitati humanæ consulat, expendenda, memoriæ infigenda, in usum producenda sapientiæ compendia meditatus. Quicquid Græcia excogitavit iudicio excultum; quocumq; Roma Græcorum æmulata sagacitatem est, quicquid doctissimorum indoles atq; industria orbi morato exposuit, in brevi quasi tabella depingi oportet, ut paulatim percipiatur. Sententias intelligo, præcæ non minus, quam recentioris prudentiæ vehicula. Eæ, demta verborum pompa, suis consulant divitiis. Non pigmentis opus habent nativa pulchritudine nitentes. Non fucis indigent sua gravitate formam ac decus spirantes. Nec insinuari imprimiq; multis rationibus volunt. Autoritatem mentis acumen conciliat, & vitæ sapientioris admiratio. Non copulari vicinis una serie debent. Ipsæ quasi intra se vertuntur. Eligi malunt, quam ratione tradi. Nihil fecius expedita discendi ratio cum propriis rei cuiusq; vocabulis elegantes & dictiones & sententias conjungit. Hærent verba tenacius, quæ sententiarum pondere liberantur. Harum ea vis & natura est, ut non solum verba & appellationes rerum puerilibus facilius imprimant animis, sed & ob rotunditatem omnibus arrideant. Inde virorum in hisce feminibus spargendis sudor, labos, affiduitas, solertia.

JOHANNEM STOBÆUM si quis *sententiarum* patrem appelliter, verum dixerit. Non ille è sordibus gemmas, sed ex optimis optima conquisivit, ac totius Græciæ thesaurum omnisq; humanæ sapientiæ velut speculum nitidissimum. Ex elementis enim variorum Scriptorum unum conflavit corpus. Corpus, inquam, prudentiæ moralis, civilis, oeconomicæ; corpus, unde regere populum, unde vitæ tuæ modum imponere, unde familiam ordinare tuam discas. Cæterum quod argumento parum respondet, index Gesnerianus supplere poterit.

THEOGNIS Poëta Megarensis, monita saluberrima posteris reliquit, quæ *sententiarum Elegiarum* nomine passim circumferuntur. Inveniunt hic veri rerum æstimatorum scitu dignissima, atq; ad bene beateq; vivendum necessaria. Ingens operis pretium, quod in tantis turbis meditationes tamen Theognidis non intercederint, vim nullam senserint, jacturam nullam passæ sint. Quippe quas cana antiquitas oraculorum instar habuit. Tanta, tam obvia in eis facilitas est, quantam vix in alio Græcorum offendas. Corrigenorum vitiorum cupiditatem etiam admiraberis. Adeo ille vitiorum osor acerrimus, virtutum propagator flagrantissimus, morumq; affiduus corrector Cynnum, amasium suum, & probitate, & sapientia, & fervore & varietate selestiq; rerum & autoritate ad se trahit ac sibi devincit.

Parvæ numero *sententia* PHOCYLIDIS copioso virtutum complexu se insinuant. Nec lectorem à se dimittunt, nisi pium, nisi probum, propositiq; sanctum, nisi emendatum. Incredibile, tot præceptiones verbis tam paucis dari potuisse. Videturq; in eo elaborasse Autor, ut memoriam levaret, animum impleret, ut imbecillitatem tolleret ingenii humani, robur autem animi nimium quantum exaugeret. Lege, quisquis es, non hominem, sed ipsam justitiam loqui audies.

PYTHAGORAS summa capita prudentis viri complexu est breviter, dum scopulos, quibus humana libido frangitur, quasi è longinquo ostendit. E contrario istis evitatis, planius ad navigandum iter aperit. Sic sine anfractibus & naufragio celerior & tutior portus obtinetur. Mensq; vigilanti oculo ad serenitatem inten-



tenta tandem feliciter enavigat. *Aurea* vocitantur *carmina* illa, quibus tam pro-  
vida cautio inest. Imo aurum & plusquam aurum vocari haberiq; debebant. Namq;  
fulvum metallum furis manus rapit, ignis edacitas consumit, maris tempestas di-  
spersit, hostis inter spolia abducit. Consilia Pythagoræ & animum roborant ad-  
versus auri splendorem variosq; fortunæ ictus, & præsidia suppeditant, quibus no-  
stra bona tueamur. Itane magistro Samio duce in aureum seculum deducimur?

SOLON ille sapiens accuratiorem limam in actiones hominum intendit, *elegis*  
compositis sententiarum lumine refertis. Hic normam adumbravit cum uberta-  
te quadam dicendi prudentia. Quæ ut vehementius percellat æstimatorem sui,  
argumentis se instruit, quibus aut felicitas stabilietur, aut calamitas certo veniat.  
Possis jam deinceps acutius rimari mores seculi, & vel infanientium stulticiam, vel  
moderatam indolem saniorum hominum examinare, postquam culturæ Solonis  
patientem aurem accommodasti.

TYRTÆUM, Poëtam Atheniensem, virtus bellica & facundia militaris nobi-  
litavit. Iam debellatus è prælio exercitus reducendus videbatur, cum ecce inter-  
veniens claudus pede altero Poëta carmina trepidanti militi pro concione recitavit.  
Lectis Tyrtæi *sententiis*, imbellis sit & scilicet, qui arma abjiceret, timidus ac me-  
ticulosus, qui in hostem iturus pavitaret. In eis enim hortamenta virtutis, damno-  
rum solatia, belli consilia, ad pugnam incendia, contemptus deniq; vulnerum,  
cædium, mortis comprehenduntur.

CHRIST. WEISIO Gregorii Nazianzeni definitiones rerum simplices, à celeberrimo  
D. Rechenbergio explicatæ, stimulum addiderant ad renovandas *Nisi Episcopi admoni-  
tiones*. Videbatur Clarissimus Autor cum autore suo certare, certandoq; æmulari  
inventorem suum. Sed ita, ut studii majoribus modestia cederet minoribus. Li-  
psiaq; definitiones enucleatas tanquam arcana Philosophica, Zirtavia admonitio-  
nes Nisi tanquam ornamenta oratoria libenter audiret atque amplecteretur. Hoc  
pacto alter veritatem in puteo latentem eruens doctiores effecit Academicos. Al-  
ter libellum elegantem & piæ facunde perpoliens poliores habuit discipulos.

Nemo tam alienus existit à prætorum venustate, quin pluris æstimet *Nicod.  
Frischlini Nomenclatorem trilinguem*. Sicut enim apis sedula omnibus insidit floribus, ut  
cellas suas dulci succo distenter: ita apis illa *Atrica* per omne genus florum perva-  
gata mella, aut si placet, medullam in unum comportavit. Jam si ex ipsis fontibus  
dulcius aquæ bibuntur, *Frischliniana* suaviora erunt, quo exploratius est, ex pu-  
ris fontibus ea promanare. Experiatur magister optimus, & periculum faciat in  
informanda juventute, iis tantum assumtis capitibus in principio diligentia, in  
quibus maxime vulgares materiæ continentur, iisque rursus selectis vocabulis,  
quæ consuetudinis quotidianæ sunt, quæque in probæ notæ scriptoribus occur-  
runt. Brevi temporis spatio (autim pignus d. ponere) incrementa vel spe sua  
uberiora capiet.

CORNEL. SCHREVELII Lexico manuali numerus *sententiarum* Græcarum haut  
exiguus annexitur. Utilissima sane appendix operis utilissimi: soni suavissimi  
echo non infuavior. Paucis ad profectus majores reservatis, fundamenta linguae  
Græcicæ magno cum fructu jaciuntur. Talem enim copiam quicunque memo-  
ria comprehendit, non admodum laborabit de Græcarum vocum radicibus.  
Omnia in hoc studio ei leviora fuerint, Schrevelianis qui se præmuniverit.

Hujusce studii utilitatem contemplatus MICH. NEANDER temperare sibi non  
potuit, incitatus in literarum adjumenta, quin flores è Græcorum pratis studiose  
colligeret. Exspatiatur igitur in amenitates Hesiodi, Theognidis, Pythagoræ,  
Phocylidis, Arati, Theocriti. *Anthologium Græcolatinum* magna cum laude adornavit. At  
quantum fastidium invasit seculum nostrum? Quis appetitus novitatis nos jam  
in devia, imo in brevia deducit? Dum sapere supra vulgus, aut, ut rectius dicam, su-  
pra veteres doctores sapientiæ studemus, in chaos antiquum sensim confundimur.  
Aut non capimus satis infirmitates nostras: aut Germania nostra Græcas literas  
sere fastidit, id est, in barbariam prolabitur. Præterierunt proh dolor tempora,  
quæ flores videri Camerarios, Budæos, Stephanos, Wolfos, Gofios, Posselios,  
Vechneros, Rhodomannos, Clajos, Neandros, Hæschelios, Crusios, Reifneros, Lu-  
dovicos, Meisteros, & si quæ alia nomina Græcitati nomen debent. Sub-



FX IIa 341  
x 2037161

Subtiliorem sine dubio genium sapiunt sibiq; exposcunt *singulares sententia* L. *Anni Seneca*, & P. *Syri Mimi*, forsan & aliorum. Mirus in illis selectus sapientia, mirus & ad materiam suam compositus numerus verborum. Oratio decore polita. Reconditi ingenii fœtus, qui è plerisq; relucet, lectorem non admittit, nisi iudicio limatum atque in studio morum pene confirmatum. An singula suis originib; conveniant, differo quærere. Certe manuscripta ita statim in fronte habent: incipiunt proverbialia Senecæ: & multa insuper paulo aliter efferunt, quam prelo expressa extant.

Teruntur in scholis *Dionysii Catonis disticha* de moribus ad filium, in quibus illuminandis diligentia laudatur Planudis, Scaligeri, Zuberi, Mylii, Opitii & his ex merito affociandi Daumii nostri. Quis ille Cato, unde domo ac patria, adhuc latet. Temporibus incuria virum abscondidit. Certum est non M. Porcium Catonem, non Valerium Catonem Grammaticum, non Aufonium eam opellam sibi vindicare. Catonis nomen fortassis materiæ conditio imposuit. Ubi vero & unde fuerit, hoc tamen manifestum est, tertium hunc Catonem non è cœlo cecidisse. Quid autem sagacioris naris homines in eo desiderent, silentio nunc tegatur.

Non malum pictorem egit JOHAN. VOLLANDUS Greuffenas, quando ad imaginem perpulchram pari forma amabilem formavit imaginem, hoc est, è bibliotheca Neandrina *Locos communes Philosophicos* composuit. Operâ certe per quam utili elaboravit. Quod enim veterum solertia sapienter tulit, illic conflure videas. Fere Homerus in nuce, Qualia vitæ communis usus suppeditat vel requirit, ex primæ classis Autoribus ibi comprehensa leguntur. Augent voluptatem interspersa subinde Græcorum proverbialia. Recentiorum ingenia non neglecta ibidem sciendi cupidinem accendunt. Adeo sapientium acumina suis distincta doribus, lepores, Veneres, lumina, quoque & nervi & profundior rerum æstimatio insipientem affigunt, affixum arctè ambiunt & possident. Quippe ubi perpetuum voluptatis cum utilitate, utilitatis cum admiratione, admirationis cum proficiendi ardore certamen conspicitur.

In usum scholarum ex optimis quibusque Autoribus *sententias* collegit JOACHIMUS ZEHNERUS, Excellentissima ex variis ingenii libabit vir industrius, quæ de pietate, vel de moribus adhortationem & notationem continent, inque libros tres distribuit, Placent dicta aurea. Placet electio. Sed nec minus me ordo capit. Namq; liber primus è Philosophis, Oratoribus & Historicis oratione soluta contextus faciliora plerumque promittit. Alter Comicoꝝ & Tragicorum flosculos dum spirat, paulo altius affurgit. Tertius Poëtarum delicias sectatus ingenii Epicorum & Elegiacorum magis attollitur.

SOPHONIAS HASENMULLERUS, Civis Norimbergensis, dum tironibus Germanis viam monstrat ad progressus feliciores in pietate, principe omnium virtutum; in bonis moribus, quibus ætas nostra exulta ægre caret; in Latina lingua, illo involucri scientiarum: dumq; *nuricem scholasticam Latino Germanicam* componit, traditurus rationem, qua æque facile puer illa omnia addiscat & percipiat, ac ex ore matris vernaculam haurimus pueruli: sententiarum comprehensionem non omittit. Quapropter è Syro, Terentio, Plauto, Cicerone, Seneca, Catone, Livio, Plinio, Columella, Macrobio, Val. Maximo conquisivit selecta quædam, quorum in vita usus esse poterat. Addita est versio Germanica, quod nollem factum. Puer enim voce magistri eo proficiat, ut sensum capiat præsentis sententiæ. Crebra repetitio pro anima & pro altera memoria est. Marcet ingenium, & hebescit intentionis acies, si ab alio jam exposita legantur, voxq; viva docentis deficit.

*Sententias* aliquot succinctas CASPAR SEIDELIUS, veluti Latinitatis fercula pueris commendavit. Id genus institutionis nemo vituperat aut carpit. Dummodo brevissima & omnium facillima in limine vestibuli collocentur. Difficilia rudium adhuc animorum conatus quasi in herba suffocant, certe depriment ac tætrant. Modo epulæ talismodi è penu depromantur probatorum Autorum. Trahit aliquid vitii oratio nostra vel à primis rudimentis minus conformibus. A teneris linguæ puritati assuescere multum est. Modo abstrusa proverbialia ablini, ne pro luce tenebras juventæ offundamus. Modo paulatim à brevioribus ad longiora transeat. Gradibus inescatur natura mortalium. Salus refugit, quia precipitia metuit.

Hæc præfaminis loco in gratiam Philologorum. Occasionem autem materiæ dedit Seneca *sententias* abundans Philosophus. Cum enim

JOH. CHRISTIANUS FREIESLEBIUS, Chemnicensis,

Neronem crudeliter loquentem sילו expressurus sit:

SIGISMUNDUS Gottlieb HILLIGERUS, Dresdensis,

Senecam tyrannidem Neronis reprimentem representabit.

Hoc igitur in bonam spem parentum succrescentes adolescentes ut benigne & benevole audire die castino dignentur, omnes, quibus literæ ad palatum sunt, adhuc debita observantia & studio rogatos volo. P.P. Cygnæ d. 23. Jan. An. orb. rep. 1704.

AD  
**AUDIENDAS ORATIUNCULAS  
SCHOLASTICAS.**

*DIE CRASTINO*

*IN*  
**AUDITORIO MAJORI,**  
FINITIS SACRIS,  
E MEMORIA  
HABENDAS,

**Venerandos Dnn. Inspectores, Patronos ac Fautores  
literarum omnes ac singulos**

praesentibus literis

per officio ac peramanter  
invitat

**M. GEORGIUS ANDREAS Winbold / Rector.**

*CYGNÆ,*  
Typis Büchelianis.



21.

